

DEMONSTRATIO XXIII.

Aer comprimi sive in arctius spatium cogi potest.

*Experimenta.*

1. Quando ex antlia embolus retrahitur, epistomio prius aperto ut aer accedat, postea clauso, ut impediatur aeris ex antliæ egressus, tunc ipse embolus etiam maxima vi non rursus potest intrudi, sed semper repellitur ab aere interno compresso.

2. Vesica suilla firmissime alligata antliæ orificio, aëre introrsum coacto mirifice extenditur & magno cum fragore tandem rumpitur.

3. Ab aëre compresso Mercurius in tubum vitreum adigi & cogi ad certam altitudinem potest.

4. Bombardæ pneumaticæ mirandi effectus monstrantur & qua ratione aër compressus sese restituat libera data via cum maximo impetu, dum nempe plumbeus globus in principio per duos asseres & postea repetitis decem vicibus ad minimum per unum commode trajici potest.

5. Ex eodem fundamento demonstratur fons artificialis, ubi aër compressus data apertura jucundo cum spectaculo elicit aquam sub varia forma.

DEMONSTRATIO XXIV.

Aër noster atmosphæricus gaudet virtute elastica i. e. compressione cessante externa sese mirifice expandit: qua vi expansiva eosdem ferme effectus præstat, quam vi gravitatis.

*Expe-*